

He 30, a







2



ORATIO PO- LITICA

DE
ANNONÆ NECESSITATE
ET SUBSIDIIS

In illustri Anhaltinorum
Gymnasio,

*Permissu superiorum
Habita*

à
MARTINO MILAGIO.
J. U. C.


d. 4. Januarii
ANNO M. DC. XXV.

SERVESTÆ
Charactere Zachariæ Dörfferi.
M. DC. XXV.



*Præs
tiof.
Stur
J. U.
amica
lend*





AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS ET HONORA-
TISSIMIS,

DNN. COSS., JUDICIBUS, CA-
MERARIIS, SYNDICO, COETE-
RIS QUE apud Servestanos

SENATORIÆ DIGNITATIS
VIRIS

OMNIBUS AC SINGULIS,

DNN. Favitoribus & Promotoribus suis
plurimum colendis.



E voluntate meâ, & Prestantium
hominum consilio vestris fascibus,
PATRES CONSCRIPTI,
exiguum hoc, quod offero, submitti-
tur. Annum enim ordior alterum, ex quo
benevolentia & hospitalitatis vestrae depre-
dico testimonia. Quæ subinde spem illam sug-
gerunt, fore, ut aliquando per vestrum latus
studiis meis ad prosperiora pateat aditus. Im-
probis proinde audiam, si non gratæ mentis

A 2

scin-

2

scintillam ex me tantus favor eliciat. Argumentum præterea palam ad magistratus provocat, nominatim ad vestrum ordinem amplissimum. Huic sicut varia prudentia et comia, ita annonæ quoque levatæ gratiam ac gloriam suavis civium consensus haut immeritam tribuit. Quæ ut cum incolumitate vobis perpetua ac propria sit, supremum Numen sub felix hujus anni auspiciis serio veneror. Valete, PATRES CONSCRIPTI, feliciter, Musis meis propitii. Dab. Ser. vest. 20. Januarii, ANNO 1625.

V. Amplit. & prud.

observantissimus

Martinus Milagius

Incor-



Nec corruptæ Romanorum vetustati,
Magnificè DN. Cancellarie, Viri Aucto-
ritate & Consilio splendidi, Dignitate Re-
verendi, Eruditione Excellentes, Pruden-
tia & humanitate præstantes, Vosque or-
tu ingenui, ætate ac ingenio florentissimi juvenes, ad-
olescentes, ut publicè lamentari infra virilem erat
constantiam: ita catholicis *ingemiscere & consulere ca-*
lamitatibus maximè videbatur decorum, imò necessa-
rium. Hinc attonitos quidem aliquoties vidimus pa-
tres, nunc Gallorum impetu *a*; modò Annibalis vi-
ctoriis *b*; mox infestis Sullæ ac Marii, Pompeii & Cæsa-
ris armis pavidos ac suspensos. Ad fletum verò nun-
quam, si vel ignobiles ob Varum cæsum lacrimas Au-
gusti oculis absterfero *c*, pronos, ad consilia & auxilia
promptissimos. Adeò ut jure ambigere liceat, utrùm
tempus illud cladibus funestius fuerit, an virtutum &
consiliorum experimentis speciosius. Nil opus reor
exemplis, *quoties populus cladem exercituum, interitum*
ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. *d* Quoties idem in dubia & summa fortuna laban-
tem rep. consiliis, manibus, telis in integrum repo-
suerit. Gallos profectò in libram intentos, *e* Anniba-
lem urbi incumbentem fortiter submovit, matronis
quoque ad publica subsidii decora & certamina exci-
tatis. Nec Sullæ aut Cæsaris tempestas fessam rep.
fomen-

*a Liv. 1. lib. 5.
b 3. lib. 2.*

*c Sueton. in
Aug.*

*d Tacit. 3. an-
nal.*

e Liv. 1. lib. 5.

fomentis destituit.

At quantum inter priscos nostrosq; mores est dis-
sidium! quantum, verso rerum omnium statu, à mayo-
rum seculis fecimus divortium! Multos hodie in tan-
tum degeneres videas, ut adversus calamitatem non
modò induruerint, sed cum lacrumis adfectum etiam
patriæ debitum ejuraverint, inter urbium ancipitia
ac prærupta lætissimi. Dardanarios nostros suggillo,
genus hominum ad civium perniciem, urbium stra-
gem, provinciarum excidia proditum.

Cui præter aurum & argentum nihil sacrum: præ-
ter publicam paupertatem nullæ divitiæ: præter o-
mnium in ediam nullæ delitiæ. Quod in eandem cum
dicæarcho illo rabiem apiscendi libido detrusit, qui
Græciam vastaturus duas aras consecraverat, alteram
impietati, iniquitati alteram a.

a Polyb. lib. 17

Neq; tamen omnium mentes titillat hæc avaritia,
sed adhuc superest aliquid prisce ac integri moris. Sunt
enim & hodie, quibus ex alienis fortunis prædandi non
dulcedo est, sed flagitium: b quibus, unde aliis inopia,
inde opulentiam recipere, indecorum. Sunt, qui in
majorum vestigia proni, publicis necessitatibus inge-
miscere & consulere consueverunt. Ferè animam age-
bat Germania, veneno monetario tantum non eneca-
ta. Recepit eadem spiritum, & provida Principium
cura, & solerti amicorum industria in pristinum flo-
rem repubuit.

b Liv. 1. lib. 6.

Videbatur non ita pridem & nostro vertici immi-
nere hostilis audacia. Deo & Principibus sit gratia,
nullum hætenus in Anhaltinatu vidimus gladium va-
gina vacuum. Annonam, non tam novercalis agro-
rum



rum sterilitas, quàm impia faneratorum tenacitas flagellaverat. Per omnes Germaniæ angulos frequentabantur querimoniam: nec serenior dies Servestæ nostræ illuxerat. Sed & huic malo iverunt obviam supremi, medioximi, infimi ordines. Et ideo in patriæ sinu acquieverant hæctenus, ut *ἀντιελαργίας* memores effecto & nutanti corpori alimenta ac vires substituerent. Quorum prosperrimis studiis ut quisque meritò favet ac faustis omnibus velificatur, ita ad idem officium, impari licet nisu, contendendum singulis. Neque enim solummodo *aquum est, omnes ad defendendam remp. concurrere,* a sed necessitatem inculcat juris naturalis in omnes auctoritas.

a l. 4. D. de o-
pee. nor. nunt.

Quocirca & ego, cum incendii annonarii reliquæ nondum deferbuerint, pauca de annonæ necessitate eandemque conquirendi ac conservandi mediis, prima tantum manu delineaturus, prodeco. Non meo remigio rem agam, sed historicis ac politicis in subsidium evocatis, Vos, auditores eminentissimi, optimi, frontem exporrigite, & pedestre eloquium propitiis auribus, ut nuper, accipite.

Et in ipso quidem limine nonnullos mirari suspicor, quæ ego meridiano lucernam adponere moliar, necessitatem annonæ ipsis etiam bestiis cognitam demonstraturus. Verum, auditores, lucerna hæc non fanatici cuiuspiam est, sed Diogenis, quærentis in luce homines. Homines scilicet, quos non infecit *pesimum veri adfectus venenum sua cuique utilitas,* b & *privatarum rerum respectus.* Qui sanè ita hodieque publicis officit consiliis, c ut plures rei frumentariæ curas prorsus exsuant, aut certè in ultimam sui calendarii calcem rejiciant.

b Tacit. i. hist.
c Liv. i. lib. 2

Nos

Nos illas capiti præfigimus, & cum Tacito necessariis erogationibus annonam ad sociamus.

Rei hujus veritatem non ex aliquo Timotheæ pacto, sed Menenio Agrippa haurire licet, sapientissimo concordia civium interprete ac arbitro *a*. Illum horrido quantumvis dicendi genere, ac suavi comparatione civitati corpus induxisse accepimus *b*. Adpositè admodum, mi Agrippa, non tantum ad tui, sed & nostri temporis scenam & faciem.

In publicum quippe constat, & hodie rempub. corpus esse mysticum, ad vivi verique corporis modum. Sequentia rem totam oculis subjicient aperitiùs. Hominem fame exhaustum primò vigor deficit, macie ac languore obrepentibus: exinde quadam inter ipsa membra discordia: quibus fatalis comes interitus. Eadem, & verius, de rebusp. firmare fas est, si fames ingruat ac aliomonia publicæ inopia. Ecquas enim vires ab illis speraveris, quibus nec spiritum nec sanguinem novum annonæ penuaria sufficiunt? Torpent languore membra, nec ullum suo officio defungitur: id quod vel per indicem ostendisse fas esto. *Capiti magistratum* exæquant, in altiori rerum fastigio conspicuum, maria, terras, pacem, bella, moderari solitum. Hunc etsi inedia æquè non conficiat aut maceret, frigent tamen ejus munia, ac plerisque conatus spei metusque vicissitudo in lubrico constituit. *Terror enim impendentis necessitatis & mentem & consilium submovet* *c*, quoties tot homines frustra suæ curæ videt commissos. Sic Alexander inter dolorem pudoremque anxius, intolerabili militis apud Indos fame quid non famæ ac prudentiæ suæ subtraxit? *d*

Nec

*a Liv. 1. lib. 2.
b Liv. d. de
loc. Dion Ha-
lic. lib. 6. c. 77.
C. Nep. de vir.
illustr. c. 18.*

*Resp. est cor-
pus.*

*Ex fame lan-
guor.
Caput, magi-
stratus.*

*c Cas. 1 bell.
Al.*

d Curt. lib. 9.



Nec oculorum, quorum vicem Consilarii sustinent, satis certa & fida ministeria. Solet enim & animi vis hebescere penuria, quæ modum excedit, nec in tanto rerum turbine consilia nascuntur, ut fungi. Latrat interea stomachus, neque moram patientia mitigare didicit. Nonnunquam, quod in consiliis infelicibus evenit, optima videntur, quorum tempus effugit a, quando, stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala ipsa distulimus b.

Oculi, Consilarii.

a Tac. 1. hist.

b. Tac. 3. hist.

Ministris, qui aurium funguntur munere, Apelles aures asininas, nares porcinas, manus instrumentis refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes cervinos, labra duabus seris clausa quondam adfixit. At nec hos ad imperata alacres, sed tardos, invitos ac infidos deprehenderit. Nam quomodo aures arrigere, commodum domini manibus urgere, pedibus accelerare, naribus subodorari poterunt illi, quibus ex ista pictura præter ventrem macilentum, nihil reliquum?

Aures, ministri.

Eadem ab hac paupertate lingue conditio, in cuius officium transeunt divini profanique juris interpretes. Nullum hinc facundia robur in famem, cum difficile sit, verba dare esurientibus c. Frustra insuper est, legibus ferendis digitum intendere, & surdo ventri juris observantiam incutere, Dixit ille: invalidum esse legum auxilium, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbantur d. Addam ego, easdem turbari penuria. Hinc furta, hinc rapinas non Argus aliquis satis adnotaverit, non Draco poena aspera cohibuerit. Nec illis occultandis amplius nox adhibetur e, Interdium quoque in facino-

Lingua, divini & humani juris interpretes.

c Dion. Halic lib. 9. c. 31.

d Tac. 1. ann.

e Tac. 14. ann.

B

ra pro-

a Halicarn.
d. loc.

ra prorumpunt homines. Unicuique forum evertere, in proceres vociferari in aedes divitum irruere, penuria sine pretio diripere licitum a. Omnes Platonicae republicae cives dicas, quibus cuncta gratis prostant, cuncta addicuntur sine aere, sine libra. Et quod Horatius paupertati exprobrat,

b Od. 29. lib. 3

*Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis facere & pati,
Virtutisq; viam deserit ardua b.*

non invito ipso ad annonae inopiam traxeris. Exempla aliunde in nostram rempublicam importare haud lubet, quin potius portasq; tanto malo obstruimus.

Cor, intimi
Consilarii.

Intimos Consilarios cordi haud absimiles similis cum prioribus calamitas exedit, cum nihil tam sancte custodiat parietum fides, quod non perumpat turbetque major ille impetus, ab imbecillitate nostra reprimi nescius.

Manus, nobiles.

Jam verò *manuum*, hoc est, *nobilium* opem ac nisus in hostem implorabimus, evanidos proisus, non minus ac eorum, qui in somnis laborant. Rara tunc corporum robora: rarior membrorum agilitas: rarissimus animi vigor. Evanuit omnis spiritus, dirigit sanguis, & quae nervos redintegrent pabula, egestati haud sunt obvia. Adeoque manibus in sinum compressis plures ignobili otio marcescunt, quam ut eas librent sine aliquo virtutis stimulo. Nec animus justae indignationis igniculum concipit, qui ad privatas ciborum curas identidem revolvitur; nec inter annonae angustias aliquid angusti comprehenditur. Ex Tullio

lio

lio Rom. rege didicimus, nihil generosi posse sapere, qui quotidiani victus penuria prematur a. Ejusmodi itaque nobilitatem Fabius Maximus sedendo expugnaverit b, quantumlibet sub Annibale stipendia facientē. Idem Anno Carthaginensis suboluerat, cum Erbeso Rom. horreo recepto, victricia arma hostibus ferē excuteret c.

a D. Halic. lib. 4. 6. 12.
b Liv. 3. lib. 2.

Sed ad pedes reipublicæ descendo, agricolas ac opifices nostros, qui fatiscentem corporis molem vix sustinent. Et qui sustineant, quos emaciatos agri inculti nullo proventu recreant? labores irriti nullo compendio sublevant?

c Polyb. lib. 1.
Pedes, agricola & opifices.

Membris ita ægrè inter se cocuntibus, ægrius caput & truncus in unam coalescit massam, quia nusquam *mutui amoris collum* seu vinculum protenditur. Sicut enim certum est, ad altiora nitenti annonam maturè provisam decus ac robur addere: ita circa rem frumentariam incuria vulgum in pejus torquet, subitis ejusmodi ad sæva mutabilem. Quæ fidem dubitanti faciant, in utramque partem documenta sponte se offerunt. De L. Minutio Livius tradit, quod *annonæ levatæ haut immeritam gratiam & gloriam tulerit d.*

Collum, *mutui amoris.*

Sp. Melius frumenti largitione plebem delinitam, quacunque incederet, secum traxit, haut dubium consulatum ei favore ac spe deferentem e. Et jam cuncta venerantium officia ad se verterat, si, quanto summæ spei propior, tanto impensius pro libertate publica didicisset niti.

d Liv. 1. lib. 4.

Pompeio Magni honorem non tam Ponticus de Mithri date triumphus peperit, quam felix piratarum commerciis insidiantium profligatio. C. Cæsar frumentum aliquoties sine modo mensuras

e Liv. ibid.

A a que



a Suet. in Cas. que præbuit, sed non sine magno favoris lucro a. D.
 Augustus, ubi militem donis, populum annona, cunctos
 dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus,
 b Tac. annal. magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante b.
 Infestum Gothorum odium nullæ blanditiæ, nulla vi-
 ctoria apud Rom. expiare poterat. Viginti millibus
 modiorum tritici in singulos annos à Theodorico R.
 c Paul. Dias. promissis, exolevit tantæ invidiæ memoria c. Hiero-
 lib. 6. nec sorte nascendi, nec virtutum beneficio æquè in-
 claruit, quàm quòd Romanis necessitatibus sponte
 d Liv. 3. lib. 2. subvenerat d. Eleganter itaque elegans poeta:

Q. Quoq; modo vanos populi conciret amores,
 Gnarus & irarum causas & summa favoris
 Annona momenta trahi: namq; adserit urbes
 Sola fames, emiturq; metus, cum segne potentes
 Vulgus alunt: nescit plebes jejuna timere e.

e Lucan. lib. 2. Nescit, inquam, famelica plebs fascibus se submittere,
 Ex fame sedi- sed dilapsis melioribus deterrimum quemque congre-
 tio. gat, & desideria sua per turbas defert & seditiones. Id
 quod vel M. Coriolanus fatebitur, quem vitæ pericu-
 lo, mox exilio objecit severior de claudendis annonæ
 subsidiis sententia. Fame, inquiunt, se sicut hostes pe-
 ti, cibo victuq; fraudari: peregrinum frumentum, quæ sola
 alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapi: eum si-
 bi carnificem novum exortum, qui aut mori, aut servire
 f Liv. 7. lib. 2. jubeat f. Alexandri milites fame oppressi deos testes,
 sacra cõmunia regisq; opem obtestabantur. At cum
 frustra surdis auribus fabulam canerent, in rabiem de-
 speratione versi, parem suo exitum, similesq; ipsi amicos
 g Curt. lib. 9. & contubernales imprecabantur g. Angustum cætera bo-
 num

num Principem in foro conviciis ac panis fragmentis peti-
 vere, ut agrè, nec nisi postico in palatium evadere value-
 rit a. Sub Tiberio gravitate annonæ juxta seditionem a Suet. in
 ventum: multaq; & plura per dies in theatro licentius ef- Aug.
 flagitata, quam solitum adversus Imperatorem b. Clau- b Tac. 6. ann.
 dium non occultis tantum questibus, sed jura reddentem in-
 vasere clamoribus turbidis, pulsumq; in extremam fori par-
 tem urgebant, donec militum globo infestos perripit c. In c Tac. 12. ann.
 Vespasianum rapa publicè coniecta accepimus, non si-
 ne exprobratæ negligentia: nota d. Et ille tamen ur- d Suet. in
 bis annonæque curam sollicitissimè semper egerat e, Vespas.
 hic celerrimas navium frumento onustas sevo adhuc mari e Suet. in
 commiserat, ut maximo discrimine nutanti urbi sub- Claud.
 veniret f. Nec Antonino Pio sua pietas patrocinari po- f Tac. 4. hist.
 tuit, quò minùs ob eandem causam lapidea tempesta- g Aurel. Vict.
 te perstringeretur g. Et quid multa? Scitè rescripsit h Vopisc. in
 olim Aurelianus ac verè: Nihil letius esse saturo populo, Aurel.
 nihil seditiosius jejuno & famelico h. Hoc ipso moti ple-
 rique duces, com meatibus interceptis, inopiam tan-
 tum hosti fecerunt, non pugnandi copiam. Ex illa
 quippe discordia nascitur, pestis, proditio, fluxa servitio-
 rum fides, omnia belli fortuita, deniq; interitus i. Quare
 Volsci, recentibus à clade iris, novas belli rationes
 incunt, rati, populum Romanum neutiquam parem
 fore fami simul ac hostium impressionibus. Et penè
 voto potiri poterant, ita insucta alimenta cives malè
 affecerant, ni benignitas Deum hostium furorem præ-
 vertisset i. Luculentius penes ipsos Volseos reperio k Dion. Halic.
 testimonium. Horum enim Imperator non præpara- lib. 7. c. 11.
 to com meatu, rapto in diem frumento, tandem vallo
 B 3 septus,

Ex fame in-
teritus.

i Tac. 4. hist.

k Dion. Halic.
lib. 7. c. 11.

- a Liv. 1. lib. 4. septus, à Rom. castris, fama, vita exiit a. Spendii exercitum Carthagini etiam gravē sola fames ad supplicium rapuit b. Saguntum, Numantiam non virtus hostium excidit, sed infelix per famem quotidie percutuntium fatum c. Nec Barbari, quibus aliàs contatio servilis, statim exsequi regium videtur d, artem hanc adspiciantur. Vercengetorix Gallus non tam suorum robore, quàm frumenti egestate pugnavit in Cæsarem e. Germani sub Vespasiano, desperata vi, consilium ad moras vertunt, hant ignari, paucorū dierum castris Rom. inesse alimenta, & multum imbellis turbæ f. Divertite, auditores, ad Batavos, Hispanos & nostros Teutonas, resurgent apud illos eadem exempla, mutatis tantum ducum opidorumque nominibus.

Ex fame nefanda.

Hæc tamen omnia conditionis humanæ satellitio connexit natura, cum esurire ac vinci leges sint fati adhuc benignioris. Ad fæda autem ciborum generosa oculosque circumjicere, carne hominum ventrem polluere, inedia extabescere, id verò omnem transcendit miseriam. Sunt, qui cum Casilinatibus g & Reginis h, loris, scutorum pellibus, muribus famem non leniunt, sed torquent. Exemplum horrendum recens quoque historia suppeditat. Nunquid Parisienses hinc fides in Guisios, inde egestas inter decus ac flagitium superiori seculo egregie distraxit? Obsessis ab Henrico IV. solita insolitaque alimenta deerant: absumentis jumentis, equisque & cæteris animalibus, quæ profana fœdaque in usum necessitas verterat, tredecim milia hominum fame occubuisse fama tulit. Sunt, qui ipsis etiam hominibus imminent, non carne solum contenti,

g Liv. 3. lib. 3.

h Diod. Sicul. lib. 3.

1 590.

tenti, sed ad excrementa quoque humana compulsi. Horresco ad Calagurtanorum fidem, qui uxores navosq; ad usum nefariae dapis verterant. Et quo diutius armata juvenus viscera sua visceribus aleret, infelices cadaverum reliquias salire non dubitavit a. Sub Honorio tanta annonae difficultas invaluit, ut in circo palam audita fuerit illa vox: Pone pretium humanae carnis. Laborat penè annalium fides, duas etiam mulieres in rabiem istam prolapsas, ut septendecim viros huic nefario usui noctu immolaverint. In Spendii, in Cambysis exercitu quae non auditu nefanda patravit famēs? Et hujus quidem milites ex se ipsis decimum quemq; sortiebantur, coeterorum epulis destinatum c. Imò & majores nostros primùm sub Cæsare d, postea sub Lothario I. humanis corporibus vitam tolerare docuit necessitas e. Apud Polonos & Silesios tanta adversus fas nefasque irreverentia fuit, ut pignora ipso Spiritu chariora parentibus prandia & cœnæ exstiterint, mandandis frustra sanguinum jura obtestantibus f. Non repræsentabo miseram faciem urbis sacrae & exempla protrita. Feliciorem ego Romanorum exitum prædico, qui, ne cruciarentur, trahendo animam, obvolutis capitibus in Tiberim iverunt præcipites g, quàm horum nimiam vivendi cupidinem. Esto enim miserrimum fame mori, at longè mihi fuerit miserius, in naturam ipsam dentibus sævire, ac exiguam lucis usuram tanto flagitio redimere.

Detraxi, nisi fallor, illis larvam, qui ex annonae penuria civium obsequia metiuntur, & sub Machiavelli signis contra publicum pro privato velitantur

com.

a al. Max. li.
7. cap. 6.

b Zosim. in
Honor. Imp.

c Herod. lib. 3.
d Cas. 7. de
bell. Gall.
e Bucholt.
anno 851.

f Id. anno
1315.

g Liv. 1. lib. 4.

commodo. Nos priscis ac majoribus nostris præviis
 a Liv. 1. lib. 5. exclamamus: O famem pestilentia tristiore *a*, ultimum
 b 3. lib. 1. c. humanarum supplicium *b*, ignavissimum mortis genus *c*!
 c Ann. Mar- Nihil huic hosti impervium, quo non penetret: nihil
 cel. lib. 17. tam placidum, quod non turbet: nihil tam sanctum,
 quod non contaminet; nihil tam firmum, quod non
 subruat.

Remedia an- Quibus itaque salus amorque civium, divini hu-
 nonæ. manique juris cura potior fuit, quam civium languor,
 discordia, strages, nefas, tanto malo pharmaca matura-
 verunt. Nos illorum pietate exciti, modos nunc in-
 Procurande, dagabimus, quos annonæ vel procurande aut conservan-
 conservande. de ex meditullio prudentiæ veneranda antiquitas de-
 sumsit.

Annone pro- Et hic quidem edico, non tam ope humana aut lar-
 curande re- gitionibus Principum, quam DEI placamentis decede-
 medium 1. re annonæ sævitiam. Supplicationes proinde magi-
 stratus decernito, quibus subditi supremum Numen
 propitient, ne fontium frequentiam frumenti raritate
 pensitet. Ab illius quippe justitia descendunt agro-
 rum vitia, imbres, grandines, cœteraque naturæ cum
 morum inquinamenti mala. Ut haut absurdus mi-
 hi videar, si famem, bellum ac pestem sorores appellavero,
 divinæ iracundiæ pedisequas, justæ vindictæ admini-
 stras. Nec minus inexhaustæ ejusdem misericordiæ
 symptomatis annonarii remedium acceptum feri-
 d Deut. 28. v. mus. Utrumque & sacri Codicis autoritas stabilit *d*,
 57. Jer. 24. & & constans annalium Ethnicorum fides. Sic Postu-
 27. 1. Reg. 18. mius, antequam exercitum educeret, templa & sacra
 v. 2. 2. Reg. 4. Diis vocebat, dummodo benignior annona revertetur *a*.
 v. 38. & 8. v.
 7.

cur a. A Claudii subditis frugum egestas & exinde fa- a Dion. Halic.
 mes in prodigium accipiebatur b. Hinc Tigalenses Py- lib. 6. c. 14.
 thia admonuit, ut contra famis injuriam Cereri vota b Tac. 12. ann.
 & sacra facerent c. Græcorum itidem inedia Delphi- c Pausan. li. 8
 cum oraculum nihil aliud opponi voluit, quàm Æaci
 ad communem DEUM preces d. Claudio imperante d Alexand.
 quindecim dierum alimenta urbi, non amplius supersuisse Strom. lib. 6.
 constitit magnaq; deum benignitate & modestia hiemis re- e Tac. 12. ann.
 bus extremis subventum e. Dolendum sanè, Ethnicis per
 naturæ lumē hæc innotuisse, quæ apud Christianos sub
 gratiæ lumine vix fidem impetrant. Proximam à pre- II.
 cibus sedem agricultura studium sibi vendicat, unicum
 ferè tranquillæ conscientiæ & concessæ voluptatis lu-
 crum, maximum profectò conservandæ reipublicæ
 momentum. Unde & Cyrum agrestis labor sæpe ex- f Cic. in Ca-
 ercuit f: & L. Quinctius triumphalis agricola à Samni- ton.
 tium clade & jugo ad boves suos rediit g. Hic Sulla, g Elor. 1. c. 11.
 dictaturâ sepositâ, suaviter consenuit: hic Diocletia-
 nus inter olera & lactucas, imperii pertæsus obambu-
 lat h: Huic studio magistratus subditos monitis, subsidiis, h Eutrop.
 premiis devinciat, mancipet. Agriculturam enim breo. lib. 9.
 nutricis aut etiam parentis titulo omnes provinciæ
 meritò honorant. Et quemadmodum infans sine nutri-
 cis lacte non potest ali, nec ad vitæ gradus perducī, sic civitas
 sine agris & frugibus haut facile adsurrexerit i. Undeq; i Vitruv. 2. de
 verè Livius: Ex incultis agris k, item deserto agrorum cul- architect.
 tui primùm annonæ caritas, postea fames urbem invasit. k lib. 2. dec. 1.
 Hanc ob causam Coriolanus plebi autor erat, ut agro l lib. 4. dec. 1.
 excolendo potius incumberet, quàm seditionum fo-
 mentis m. Et quid præposterum Midæ votum innuit, m Liv. 1. li. 2.
 C quàm

metalla

quàm non auro, sed frugibus vivere rempublicam.
Suboluit idem sagacissima: maris femina, quæ Pythio
Lydorum regi ferutanti avidius fereula adposuit au-
rea, oculorum non ventris oblectamenta. A venis
Ita maritum ad agros, ab avaritia regem ad publicum
compendium reduxit, indeque ad boni Principis of-
ficiam.

at. t. D. &
C. de fer.
b l. 7. auth. a-
gricultores.
D. que res
pign. oblig.

e Tac. 12. ANN.

d Liv. 3. lib. 3.

Monitis subsidia & premia magistratus succentu-
riet, quæ duros agrestium labores & annos frugibus ad-
versos suis delinimentis mitigant. Ex hoc fonte mes-
sium feriae fluunt a: vomerum atq; aratorum contra
creditors privilegia b: immunitatū circa præstationes
ad tempus indulgentia. Nec illud abs refuerit, è pu-
blico interdum semina erogari, usque dnm sterilitatis
damnum sequentis anni clementia resarciat. Eorum
causam hîc oro, quorum fruges deâ Bîa corruptit, non ve-
ro dissipavit prodigalitas. Verum enim verò in Ta-
citi penè ævum revolvimur, cujus pravitatem ejusmo-
di querelis exaggerat. Olim, inquit, ex Italia regioni-
bus longinquas in provincias commeatus portabant nec
nunc infecunditate laboratur, sed Africam potius & Ægy-
ptum exercemus, navibusq; & casibus vita populi Romani
permisfa est c. Idem glaucoma nostrorum oculos obfi-
det, ut foris cum publico naufragio conquirant, quod
domesticus ager sine periculo spoponderat. Multi à
tuguriis ad institorum & opificum tabernas transfugia-
unt, pravâ amplioris lucri fiduciâ aut diuturno onerum
ac vexationum tædio. Alios ignaviâ ita torpere vi-
deas, ut ne fames quidem, quæ mutas quoq; bestias accen-
dit, eorum curam stimulare possit d. Quos vero stiva ad-
huc

huc invitos secum detinuit, eos non in rempublicam amor & annonæ vilitas, sed sola caritas erigit a. Ita pessimum pleonexias venenum non callidis modò, sed & simplicioribus agrestium animis sensim & suaviter illabitur.

a Senec. lib. 6.
de benef.

Quòd si vel soli vitium, vel aëris pestilentia fruges invideat, commoda importatio terra mariq; malo annonario medebitur. Huic tres comites adjunxerim, pretii copiam, amicitiam apud exteros, apud subditos præmium. Nam ut pecunia belli nervus est b, ita & pacis tempus ejus robore nititur. Ejusmodi usui veteres ærarium destinârunt variosque conquirendi modos: ut sc. auri statuta quantitas ad coemptionem frumentariam perpetuo esset dicata c. Queis deficientibus, magistratus pecuniam divitibus imperet, eandem è frumenti distractione, nec sine fœnore recepturis. Rogatio etenim hæc naturæ est, ut ægrotantem patriam quivis, quacumq; possit opera, etiam invitus sublevet.

III.

b Tac. 2. hist.

c l. 2. C. de frum. urb. Constantinop. lib. 11.

IV.

V.

Fedus dehinc cum vicinis suaserim, quorum societate quandoque meliùs stetit respublica, quàm suorum obsequiis. Illos autem deligendos existimo, quos agri liberalitas & frugum copia meliori in loco constituit. Nam qui egenorum amicitiam ambiunt, quarunt, cum qua gente cadant, & in caducum inclinant parietem d. Romanos Ægyptus, Sardinia, Sicilia finitimæq; insulæ largissimo proventu aluerunt. Hinc honoratiora ipsis passim vocabula imposita, ut nunc populi Rom. horrea e, modò cara annonæ pignora audiant f. Ægyptum sanè vel hanc ob causam Augustus inter alia dominatione parana seposuit, vetitis, nisi permissu ingredi senatori.

d Æl. Spart. in Adrian.

e Cic. in 4.

Varr.

f Flor. 4. c. 2.

A 2

tori.

toribus aut equitibus Romanis illustribus: ne fame urgeret
 Italiam, quisquis eam provinciam claustraq; terræ ac maris,
 quamvis levi presidio, infedisset. Hinc Tiberius Germa-
 nicum acerrimè increpuit, quòd contra instituta Augusti,
 a Tac. 2. ann. non sponte Principis Alexandriam introisset a. Idque
 Gallieni tempus aperuit, Ægypto amissa, non *linum*,
 b Treb. Poll. in valer. quæ vox Imperatori per socordiam exciderat b, sed vi-
 vendi subsidium adcessisse hostibus. Idem aliis civi-
 tatibus metuendum, quas cuncta hostilia, nulla vero
 amica circumsepiunt. Audiamus Livium. Dimisse
 passim ad frumentum coemendum non in Hetruriam modò
 dextris ab Hostia litoribus, levoq; per Volscos mari usq; ad
 Cumas, sed quæsitum in Sicilia quoq;. Qui ita? Adeò fi-
 c Liv. 2. lib. 2. nitimorum odia longinquis coegerant indigere auxiliis c.
 Quod maxima Romanorum gloria Q. Fabius Maxi-
 mus suo adsensu adstruit. Annibal, ait, in hostili est ter-
 ra, inter omnia inimica infestaq;: partem vix tertiam ex-
 ercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit. Plures
 fames, quàm ferrum absumpsit: nec his paucis victum jam
 d Liv. 3. lib. 2. suppeditat d.
 V I.
 e l. 1. C. ut
 nem. lic. in
 ont.
 f Tranquil. in
 Aug. 6. 18.
 gl. 5. 5. 4. D.
 ad l. jur. de
 immun.

Premia denique subditis annonam procurantibus
 designet magistratus, sine quibus claudam rem publi-
 cam cum Solone aut certè Iuscam cum alio firmave-
 rim. Quamvis enim civibus frumenti cura ex lege
 conveniat e, spontaneum tamen adfectum magis ma-
 gisque præmia sollicitant. Quocirca Claudius Imp.
 pericula navium donis propositis pensasse dicitur f.
 Et jura nostra eos, qui tali in actu occupantur, nullis
 domesticis vexationibus & sumtibus fatigant g. Imò
 pœnam exasperant illis, qui annonæ transvectoribus
 moras

moras manumve injiciunt a. Ipsa Iberorum crudeli-
tas, illa conscientiarum carnificina suum aculeum hinc
reprimat, nec frumentatores equuleis ac fidiculis ad-
moveret. Quemadmodum nec licitorum violentia sunt
obnoxii, nec apud Ticinenses creditorum rigoribus
subjacent, eo nimirum die, quo annonam importarunt b.
Quod si & inter nostros agerent ejusmodi
privilegia, plures frumentarios, pauciores luxuriamini-
istros, alerent provincia.

Ac his ferè modis annonam comparabat prudens
antiquitas, cujus custodia (quod omnibus familiare
est) arctiori difficultati connexa est ac periculo. Ideo
que & *cautis* remediis, & si sola non pertingant, *acriori-*
bis erit incumbendum.

Inter illa agmen ducet *sitionis munus*, ad quod secer-
no viros exercitatos, nec de usuraria pravitate suspe-
ctos. Veteres Sitionas vocarunt, item annonæ præ-
fectos ædilesque Cereales c. Horum erit, numerum
civium, comineatum copiam & alia provinciarum
subsidia habere cognita. Deinde curare, *ut incorru-*
ptum à fraude advehentium & negligentia frumentum
transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur &
concalescat, ut ad mensuram pondusq; respondeat d. Inde
ut annonam dispensatione commoda vicatim descri-
bat & certo ære vendat, quod solitum precium adse-
quatur, non superet e. In potentiori rep. annonarium
canonem certamque tesseram civibus distribuatur, gra-
tuitæ annonæ indicem f. Quod præter Servium, Au-
gustum & patres patriæ, etiam tyrannis usurpatum mi-
nor. Nero jam parricida, auriga, histrio, incendiarius,

a l. 2. §. 1. D.
ad L. Jul. de
annon.

b Simler. li. 1.

Remedia an-
nonæ conser-
vanda.
Cautæ, vel a-
spera.

I.

c l. 2. §. capta
D. de O. J.

d Senec. de
brev. vit. c. 19.
e l. fin. C. ut
nem. lic. in
emt.

f vid. t. t. C.
de erog. milit.
ann. lib. 12. &
t. t. de annon.
civ. lib. 11. t. t.

de canon. fru-
ment. urb.

Rom. t. de
frum. urb.

Constant. lib.

11.

a Tac. 15. ann.

b Joseph. d. 15.

antiq. Jul. c.

11.

c Senec. lib. 4.

o. 28. de benef.

d Tacit. lib. 3.

annal.

e lib. 12. ad

Tac. disc. 3.

nihilominus militibus sine pretio frumentum addidit, quo
antè ex modo annonæ utebantur a. Neronis ut crudeli-
tate sic beneficentia haut inferior Herodes, qui gratui-
tis frugum erogationibus omne aurum argentumque
impenderat b. Suaferim tamen, ne eo, quo olim, jure
cum bonis far, perjurus, adulter sine delectu morum
frumentum ex publico accipiat c, sed quos miseratio-
ne dignos ostendit vitæ integritas.

Altera ab hac magistratus sollicitudo erit, ne virtua-
res rectè administrantium silentio intereïdant, ut pra-
vis contra factis ex posteritate metus sit e. Infamia d. Huc
Scipionis Amirati tendit consilium, quo duos libros
æternitati vult consecrari e. Prior eorum nomina &
superstitibus & posteris commendat, quos veros an-
nonæ vicarios publica probavit industria. Posterior
illos nigro lapide notatos exhibeat, à quorum avari-
tia eidem periculum imminuit ac pernicies. Illud
enim hoc instituto evincitur, ut optimis adhuc vivis
fama sui frui liceat, indeq; accensâ juvandi promittu-
dine majus decus à posteritate redimere satagant. Et
hoc unicum lucrum rectè facta impetrant, quòd fla-
granti desiderio celebratos etiam post suprema hone-
stæ vitæ memoria recolat. Pleonecticos verò & igna-
vos si non semper, saltem aliquando melioribus ad-
plicabit non tam sequentis ævi silentium, quàm odio-
sa flagitiorum & sordium anacephalæosis.

In priori catalogo & TIBI, INCLU-
TE PRINCEPS AUGUSTE, PA-
TER PATRIÆ, sedem gratulamur
Prin-

Principem. Quem enim adeo hospitem
ignarumque Servesta nutrit, qui non grata
mente ac voce beneficium ante novime-
stre spatium circiter urbi exhibitum ru-
minet? quem fugiat, pauperes panibus ali-
unde subvectis & æquo pretio venalibus
sublevatos? Scilicet non poteris AUGU-
STI supereminere titulo, ni cæteris vir-
tutibus, queis Augustum vincis indies, &
annonæ curam Principi isti propriam ad-
jungeres. Facesat hinc sapientiæ pater
Seneca, qui nullum beneficium prædicat,
nisi prorsus gratuitum^b. An itaque solo
egentium intuitu, non lucri cupidine, fru-
mentum advehere, vitam subditis victu
prorogare beneficii notam haut merebi-
tur? Nos PRINCEPS OPTIME,
tanto illecti munere in laudes Tuas non
inimus, sed currimus, easdem felici recor-
datione ad posteros transmiffuri. Nec in
circo, sed illustri hoc Gymnasio illud feli-
ter

*a Suet. in ejus
vir.*

*b lib. 6. de be-
nef. c. 16.*



ter sub novi hujus anni auspicio ingemina-
mus: *Deus te servet, Auguste! Deus conju-*
gem subolemque Augustam felicitet! DEUS
Te, AUGUSTE, Tuosque diutissime
sospitet!

III.

a Tac. 2. ann.

b l. 3. D. ad.

L. Jul. de an-
non.

c l. 9. D. rer.
amot.

Tertium remedium est, ut magistratus ipse exem-
plo Tiberiano a pretia frugum levet aut exaggeret, non
Dardanariorum libido aut vulgi licentia. Potestas hæc
Romanis adeo sancta fuit, ut ad majorum gentium ma-
gistratus illam restringerent. Exstat eam in rem Di-
vorum fratrum rescriptum: *Minimè æquum est, decurio-*
nes civibus suis frumentum vilius vendere, nec ordini cuius-
que civitatis jus est, pretium grani, quod invehitur, statue-
re b. Nostris moribus jus illud ad plebem transit, li-
citandi licentia penè suppressam, ac venditorum ava-
ritiam. Moribus prorsus improbis ac rei publicæ exi-
tiosis. At inquit *iniquum est, non suo pretio res ven-*
dere c? Fateor equidem: Sed longè iniquius est, pra-
va habendi cupiditate duci, & sua malitia omnes ad-
fligere. Sunt nonnulli, qui solitudinem subvhen-
tium inde ominantur. Verum carni cæterisque rebus
pretium publica auctoritas imposuit, sine ulla carnis
earumque rerum jactura. Defugiant exteri imperi-
um, à civibus tamen ac subditis obsequia impetrabis.
Et ne fallant, in agricolarum numerum, facultates ac
annuos proventus anquirere non tantum licitum duco
magistratui, sed etiam necessarium. His etenim cu-
ratiùs cognitis, ad justitiæ normam pretia intendere

vel

vel remittere eidem erit in proclivi.

Resultat exinde aliud annonæ præsidium, *clandestinis ex portationibus* oppositum. Nam cum frumentorum quoque modii in publicum constant, haut facile pleonectici potiora alimenta patriæ suffurari poterunt, Idque ne palam quisquam moliatur, edictorum severitate coercendus est & accurata delatorum diligentia. Quos cum Tiberio *legum custodes* rectè appellaveris *a*, dummodo non lata potius, quàm comperta *a Tac. 4. ann.* nuntiènt. Et hoc edictum summa tuetur æquitas & naturalis ratio. Præstat enim nativis provinciæ frugibus vesci, quàm vitam populi, salutem subvehentium per incerta maris ac tempestatum quotidie volvi. Nec hodie vel heri natum est illud veriverbium, miseriam ac periculo proximum esse, aliorum implorare misericordiam. At hinc quoque oblatrant Dardanarii, tolli jus gentium, constringi commercia. Constringimus, natura duce, nequaquam prorsus evertimus. Hocque in Patriam pietas jubet, ut in illam largiori, quàm in proprium commodum, adfectu propendeas.

IV.

Verum ne commerciorum libertati videar iniquior, eandem, evulgatâ emendi vendendique licentia, omnibus restituiam. Denuò itaque magistratus officium interpello, ut ne *monopolis* in re frumentaria fenestram aperiat. Tyrannis quippe est, necessariorum rerum usum à paucorum pendere arbitrio. Idque vel tum maximè, quando inopiâ ventilatur respublica, ac proinde non unius, sed omnium expectat subsidium. Non sine prudentiæ encomio Zeno Imper.

V.

D

mono.

al. un. C. de. *monop.* monopolia sustulit, *monopolasq; suis bonis exspoliatos perpetuitate damnabit exsilii a.* Nec est, ut e monopolis reipublicæ tuæ viros opulentos, fortissimaque fulcra pollicearis: eadem enim opera sibi robur, cæteris ruinam adcelerant, & fisco lanam adpendunt ovibus tuis detractam.

Acriora remedia.

b Tac. 13. *annal.*

I,

c Tat. de *mo-*
lib. Germ.

d l. 6. D. de *extr. crim.*

e l. 27. de *pæn*

f l. 3. S. *item si*
quis D. de
crim. stall.

g l. 6. D. de *extr. crim.*

Hactenus cautis & mollioribus pharmacis morbum annonarium oppugnavimus, sequens classis *acriora* exhibet, quorum eadem cum superioribus vel etiam major est necessitas. Nam ut medicorum filii cauterium quoq; cædefaciunt & ferras circumspiciunt: ita *asperitate interdum remedium quærendum est, quod usque sit salubre & misericordia melius b.* Pœnarum rigorem innuo, dardanariis, luxuriosis, mendicis validis & otiosis debitum: omnes enim hi annonam attemptant, vexant, onerant. In primis illi, quos scelus & detestabilis avaritia ad principia posuit. *Dardanarios* voco, quibus *fanus agitare & in usuras extendere, solertia dicitur, corrumpere & corrumpi seculum c.* Qui frumentum muribus potius ac: in eis adservant, quam ut æquis pretiis distrahant: *qui minus uberes proventus improbo voto sollicitant d.* Qui falso mensurarum modo pecunias civium attenuant e, ac tantum non in corpora libera nervo & vinculis deserviunt. Quorum contubernio & hi delectantur, qui dolosis licitationibus pretia exasperant, atq; ita fraudem fraude præmuniunt f. Omnes prisca severitas *infamiae, relegationis, operis publici metu compescuit.* Aliis *commerciorum jura demta:* mox etiam ad legem Corneliam de falsis ventum g. *L. Minutius acerba inquisitione frumentarios iræ populi objecit a.*

jecit a: alii hastâ eos ac publicis frumenti reconditi di- a Liv. 1. lib. 2.
 stractionibus territarunt. Nostro seculo fontes è mani-
 bus magistratum eripere misericordia est, ita vera rerum
 vocabula jam pridem amisimus b. Atqui non remitti pœ- b Cato apud
 nas publicè interest, ne ad maleficia temerè quisquam prosti- Sallust.
 liat c, & mollibus consultis contrahamus potius, quàm c l. 14. C. de
 eluamus maculas. pœn.

Hæc de avaritiæ fordibus; ab altero latere stat prodi- II.
 galitas seu *luxus*, specie magnificentiæ & liberalitatis
 imponere solitus. Vitium, quod non solum virtutes ac
 fortunas atterit, sed præterea annonam accendit. Ut
 haut frustra fuerit sal sapientiæ Seneca, qui ægra civi-
 tatis indicia ad severavit conviviorum ac vestium luxuri-
 am d. Idque nostris moribus sic invaluit, ut multos d Senec. epist.
 Vitellios & Heliogabalos intueri liceat, saginæ emtos 115.
 & mancipatos. Ut vix hodie à servis impetres, ne ci-
 bum fastidiant, quo olim Consul in conspectu Samni-
 tium vesci non erubuit. Hic iterum necessum est,
 coarctari juveniles calores, ne cupidini dediti tristem sen-
 tiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimoni-
 um e. Adcoque cuti ac gulæ metam ponere victus e l. fin. S. i-
 simplicitate decet, ut parabilis facilisque placeat cibus, ni- psum. v. mali-
 bilis habens accersiti pretii f. Cujusmodi Majorum no- us. C. de bon.
 strorum palato satisfecit, quibus cibi simplices, agrestia quæ lib.
 poma, recens fera, aut lac concretum. Qui sine apparatu, f Senec. de
 sine blandimentis expellebant famem. Tac. de mor. Germ. tranquil. c. 2.
 Ne nuptias & cœteras mensas publicas onerent poti-
 us, quàm ornent ferculorum fastidia, sed cuncta (ut in
 Alexandri Imp. victu g) ad modum præbeantur & ratio- g Lamprid. in
 nem. Quiescat ejusmodi tempestate conviviorum vit. Alex.
 6155 D 2 festi.

festivitas: cum tempore interire basis sit prudentiæ politica. Quod si renuant, legibus sumptuariis vitam magistratus postliminio restituat, sic tamen, ut amulandiamore validior adpareat, quam pœna ex legibus & metu. Ita parsimoniam publicam exemplo jurvit Augustus ac Tiberius, quorum prior cœnam etiam tribus ferculis exhibuit: posterior pridiana ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq; aprum affirmans, omnia eadem habere, quæ totum a. Et apud L. Verum Imp. ferculorum restrictio in proverbium desiit: *septem convivium: novem convivium b.* Nolo hîc jejunia imperare, Christianis decora, popularibus verò nostris admodum gravia & ingrata. Quæ tamen ipsa momentum annonæ facient, si ad cultum pietatis ea redegeris, non superstitionis fastum.

a Suet. in u-
triusq; vita.
b Capitol. in
L. Ver.

III.

Ex usu præterea est, validorum mendicantium refrænare audaciam ac ignaviam. Cunctis, quos in publicum questum incerta mendicitas vocat, inspectis, exploretur in singulis & integritas corporis, & robur annorum c. Inertes edictis & fustibus abigere licitum, languidis tantum in xenodochia receptis. Legi huic neutiquam humanitas intercedit, quasi contra miseriam hominum rogata. Magis enim inhumanum est, oscedine aliorum industrios premere, & ignaviam professis, in tempestivâ misericordiâ contra leges d adistere. Prudentior olim L. Minutius, qui fraudando parte diurni cibi servitia, cœteris de victu prospexit. Ac D. Augustus magna quondam sterilitate & difficili remedio venalitiæ & lanistarum familias partemq; servitiorum urbe expulit, ut annona convalesceret f. Huic post alias causæ colo-

c l. un. C. de
mend. valid.

d l. 78. §. 2. D.
de leg. 2.

e Liv. 1. lib. 4.

f Suet. in Aug.

coloniarum frequentiam imputo. Credebant enim veteres, non parum in urbe remissuram alimentorum inopiam, si emigraret non contemnenda plebis portio a. Certissimè adsero, & nobis longè uberiores suppetituram alimoniam, si robustos mendicantes otiososque homines, inutilia terræ pondera vel labores idonei subigerent, vel Indiarum vastitas exciperet.

a Dion. Halic.
lib. 7. c. 12.

Ecce illam hominum ultimam, pudenda civitatum catharmata intelligi, quæ nec avitis bonis, nec proprio labore vitam tolerant; sed ad extremam urbium partem semota, mendicitate aut rapti precarium producant spiritum. Nec id sufficit, sed ante juvenalia quoque connubiis se illigant, & ex infelici matrimonio liberos in eandem sortem & reipublicæ perniciem suscipiunt. Et sanè (liceat mihi paululum excurrere) hi mores nos hodie inundarunt, ut prætextati etiam Junoni & Lucinæ tenellâ voce supplicare didicerint. Secus atq; majores, inter quos *sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur eadem juvena, similis proceritas, pares validique miscbantur, ac robor a parentum liberi referebant* b. Apud quos in turpissimis habitum, ante 20. annum *fœminæ habuisse notitiam* c. Sed ignoscendum forte in his caloribus, cum sub Spartanorum celo videantur nati, qui eandem cum coelibatu seris nuptiis poenam irrogabant. Ad otium remeo, pulvinar illud Satanae, industriorum, reipublicæ & annonæ virus, seditionum suscitabulum. Hoc ne rempublicam adrodant, scholam laborum aperias, tam corporis quam animi, Ingeniorum aetatem idoneus sudor exerceat, irritamentis ad virtutum studia

IV.

b Tacite Ind.
Germ. notat.
c Cas. lib. 6.
de bell. Gall.

D 3

dia

dia propositis. Quos in aliam sortem ignobilior ge-
 nius damnat, à pueris alius labor occupet, ut ignotam
 segnitiam vel ipsa consuetudine amare nesciant. Nec
 ulla regio aut civitas adeò laborem averfabitur, ut eam
 omnis operandi deficiat materies: Noricorum are-
 nam non mercatura sola, sed præcipuè artium mecha-
 nicarum elegantia ab inopia vindicat. Brunopolin
 frustra à Cereris munere commendes, si aliò jubeatur
 migrare opificum assiduitas. Belgæ etiam pueros in tyro-
 cinia distribuunt, publico, si necesse est, sumtu, virgines ad fi-
 lum lanamq; erudiunt a. Deinde Amasis exemplo præ-
 fectum constitui utilitas exigit, qui ad scrupulum usq;
 ejusvis vivendi modum & medium examinet. Gna-
 vis præmia, desidibus poenas denunciet. Langueret
 alias industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut
 spes: & securi omnes aliena subdia expectabunt, sibi igna-
 b Tac, 2. ann. vi, reipublicæ graves b.

Verùm quid castigationibus immoror & immorior
 censor sine suffragiis, Prætor absq; imperio? Notatur
 Omuli ad Antoninum Philosophum libera vox: cum
 in alienam domum veneris, & mutus & surdus esto c. O-
 mulus quispiam aut æmulus & mihi occinere poterat:
 in alienam rempublicam delato nec linguæ, nec auri-
 um salva sunt officia. Illis audacter regero, propter
 morbos reipublicæ dicam scribere, esse temerarium;
 Catholicis autem ingemiscere & consulere calamitati-
 bus, pietati consonum. Neq; effata hæc in unius ur-
 bis aut provinciæ angustias coarctari patiar; ex publi-
 co deprompta pro publico omnium militabunt com-
 modo. Nam annonæ procurandæ causa Deum preci-
 bus;

a Euph. in
 Icon. anim. c.
 s.

b Tac, 2. ann.

c Capitol. in
 Anton. Philos

bus; agrum *cultura*; terram ac maria *subvectionibus* fa-
 tigare, non Anhaltinatus soli congruit, sed Europæ, sed
 omnibus terræ partibus. *Pecuniam* frumento compa-
 rando; *amicitiam* finitimis, *præmia* subvectoribus invi-
 dere nec propinquis commodum reor, nec remotiori-
 bus. Iterum annonæ conservandæ *præfectos*; his glo-
 riam aut *infamiam* decernere; grano *pretium* imponere;
 distrahendi *licentiam* constringere; *mox* relaxare, omnes
 majorum minorumq; gentium respub. *magistra* rerum
 experiētia docuit. *Dardanariis*; *luxuriosis*; *mendicis*, atq;
ignavis non solius *Servestæ* iram precor, sed cujuslibet
 nationis, virtutibus ac commodis suis innixæ. Namq;
 hæc *pharmaca* omnibus omnino gentibus propinavit
 sapiens vetustas, cum delectu tamen & exquisita circa
 applicationem moderatione & prudentia. Ad hujus
 speculum si antiquissima Soraborum metropolis sua
 consilia ac mores composuerit, quis non sapientiæ di-
 xerit indicium? Ne jucundum ac utile adtexam, duos
 obsequii & fidelitatis sponsores certissimos. Verbo
 me expediam: Constabit reipublicæ suus *vigor*, civi-
 bus *concordia*, summis ac infimis *salus*, juri *autoritas*,
 si superstites annonæ curam honesta *amu-*
 latione ad posteros deriva-
 verint.

D I X I

Lf 232


ULB Halle 3
004 185 404



f
sb.


1077
Tux





12





Farbkarte #13

B.I.G.



TIO PO- TICA

DE
NECESSITATE
SUBSIDIIS

Anhaltinorum
Gymnasio,
in superiorum
Habitat

à
GEO MILAGIO.
U. C.
4. Januarii
M. DC. XXV.



VESTÆ
Zachariæ Dörfferi.
M. DC. XXV.



*Praxis
hies.
Stur
J. U.
amic
Lend*

